

Habitu et glabritie absoluta partium caulis superiorum flororumque convenit quidem *V. Haynaldianum* m. cum *V. glabrato* Friv. (*V. leiostachyo* Gris. test. ipso auct.), stirps tamen Frivaldszkyana a mea foliis inferioribus subtus cano-tomentosis, bracteis, petiolisque duplo brevioribus, floribus fasciculatis, petalis flavis lacinias calycis quinques superantibus facile distinguitur. *Verbascum phoeniceum* L. aequo ac *Verb. rubiginosum* W. Kit., quibuscum *V. Haynaldianum* m. longitudine bractearum ac petiolorum et forma calycis laciniarum bene congruit, habitu alieno, glandulis et pubescentia praecipue colore petalorum majorum a mea stirpe diversa.

***Hieracium dacicum* n. sp.**


Auctore R. de Uechtritz.

Accipitrinum, e sectione *H. prenanthoidis*. Subaphyllopodum, pallide glaucovires. Rhizoma mediocre, descendens, tortuosum, fibros validos copiosos emittens. Caulis multifolius, obsolete fistulosus, leviter striatus, pilosus, versus basin sordide purpurascentem albo-hirsutus, apice glabratus, depauperato-corymbosus. Folia numerosa, (7—9), sensim decrescentia, remote denticulata, supra glabra, subtus pallidiora, nervis laxe anastomosantibus, una cum margine albo-pilosa, praesertim in nervo mediano; heteromorpha, inferiora petiolata, molliora; basilaria sub anthesin emarcida, late lanceolata, apiculata, sensim in petiolum leviter alatum angustata; caulinata rigidiora, infima illis similia, sed eximie acuminata atque latius petiolata, petiolis basi haud auriculatis, media anguste lanceolata vel oblonge lanceolata basi lata rotundata aut truncata amplexicaulia vel subamplexicaulia, summa minora, magis inter se remota, ovato lanceolata subintegra, glabrata aut margine parce tantum pilosa. In florescentia conferto-corymbosa, oligo- (3—7) cephalia, rarius depauperato-paniculata, ramis brevibus strictis discretis folio subjecto vulgo longioribus. Pedunculi abbreviati, apice versus anthesin subcernui, saepe bracteolati, primo intuitu glabri, sed sub lente parce canofloccosi, pilis longioribus prorsus destituti, eglandulosi. Involucra mediocria, primo cylindrica, demum basi truncata, basi nigricantia, parce minuteque glandulifera, pilis longioribus albis eglandulosis raro immixtis, ceterum glabrata, squamis latis obtusissimis apice barbato-ciliolatis, extimus minoribus paucis modo adpressis, modo laxe patulis, exinde involucrum saepe calyculatum evadit, exterioribus nigricantibus, interioribus glabratris margine lato pallidiore, intimis pallide virentibus linea media nigra tantum notatis. Ligulae luteae, apice dentibus brevibus incrassatis obtusis parce et irregulariter ciliolatis. Stylus fuligineo-nigricans. Achaenia demum pallide brunnea, pappo sordido, basi rufescente.

Habitat in rupestribus Zanoguca alpium Retyezát Transsilvaniae (alt. 6000 ped.), ubi medio Augusto a. 1874 invenit cl. Dr. V. Borbás.

Caulis 0·3—0·4 m. altus, folia caulina inferiora 0·08—0·1 m. longa, 0·012—0·15 m. lata. Pili caulis albi, basi minute bulbosi, bulbis exsertis luteolis; fragiles, facile detergendi, quare interdum caulis demum pseudoglabratus, at simul ob pilorum bulbos persistentes granulato-scaber. — Species vix cum ulla descriptarum e grege Prenanthoideorum conferenda et media fere inter Prenanthoidea legitima, quibus habitu et crescendi modo omnino accedit et inter species Pulmonareorum ex affinitate *H. silesiaci* Krause (sectio Cernua m.), quibus colore herbae, calathiidiis virgineis subcernuis, inflorescentia etc. affinis est. Recedit ab *H. silesiaco*, quocum praeterea involueri colore, squamis valde obtusis atque achaeniorum colore convenit, defectu rosulae perfectae basilari tempore florendi, caule strictiore, non flexuoso, magis folioso, apice cum pedunculis pilis longioribus prorsus destitutus, foliis evidentius heteromorphis, subtus manifeste anastomosanti-nervosis, caulinis majoribus basi haud angustata amplexicaulibus nec sessilibus, involueris brevioribus minus cylindricis, paullo magis pilosis (in *H. silesiaco* pili longiores albi fere omnino desunt.) — *H. silesiacum* Kr. ut Cernua reliqua, exempligratia *Hier. Schultzianum* Vis. et Panč. (ex parte) = *H. cernuum* Friv. (nec Fries), *H. porphyritis* Kerner, *H. Borbásii* m. (species nova mox describenda), est Pulmonareum verum, phyllopodum, dum *H. dacium* inter Accipitrina collocandum vulgoque gemmiferum aphyllopodium est, foliis basilaribus versus anthesin omnino emarcidis; attamen pro more nonnullarum aliarum ex *H. prenanthoidis* affinitate specierum v. c. *H. riphaei* m. interdum hypophyllum, rosulas foliorum illis *H. bohemici* ceterum prorsus diversissimi haud dissimilium discretas coactaneas explicans. Innovationi igitur nimis magni sane tribuit momentum cl. Fries in discernendis sectionibus hujus generis; exstant enim revera haud paucae species hac ratione ambiguæ vel variabiles (praesertim Sabaudis Umbellatisque exceptis inter Accipitrina) mox geminis clausis, mox rosulis praemature explicatis perhiemantes. Accuratius atque effusius de his rebus tractavit cl. Naegeli (Ueber die Innovation bei den Hieracien und ihre systematische Bedeutung in Sitzungsber. der k. bair. Akademie der Wissenschaften in München 1866), cuius observationes ingeniosae nec minus judicia in plerisque certe comprobanda magni pretii sunt.

Vratislaviae, Aprili 1875.



ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Österreichische Botanische Zeitschrift = Plant Systematics and Evolution](#)

Jahr/Year: 1875

Band/Volume: [025](#)

Autor(en)/Author(s): At. Uechtritz R. v.

Artikel/Article: [Hieracium dacicum n. sp. 214-215](#)